HVGONEM ILBERGIVM

AD

NOVI GYMNASII REGII

MVNVS RECTORIS AMPLISSVMVM

SVSCIPIENDVM

MISNIA DRESDAM MIGRANTEM

OPTVMIS OMINIBVS VOTISQVE PROSECVNTVR

COLLEGAE AFRANI.

INEST

HERMANNI PETERI

DE P. OVIDII NASONIS FASTORVM LOCIS QVIBVSDAM

EPISTVLA CRITICA.

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXIIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

Opinione et spe nostra, uir humanissume et dilectissume, fit celerius, ut haec schola, cuius conmuni uinculo adhuc coniuncti fuimus, Tuo consilio Tuaque auctoritate orbetur. nam quoniam eorum uirorum praestantissumorum, quibus scholarum nostrarum cura conmissa est, prudentiae placuit, ut grauissumum illud noui gymnasii regii Dresdensis constituendi et temperandi munus susciperes, Tu huic fiduciae et honori deesse nolens nobis relictis Dresdam migrare decreuisti, quae quidem res ita est conparata, ut nobis non possimus non maerere, quod nunc Te carebimus, Tibi gaudere et congratulari, quod Misnensis scholae statu egregie ordinato aliam eamque latissumam prouinciam nanctus es, in qua ingenii Tui facultate rerumque scholasticarum scientia et usu etiam pluribus hominibus prodesse possis. apud nos autem etsi per triennium tantum scholae nostrae praefuisti, tamen hoc pro certo spondemus, huius operae Tuae quamuis breuis spatii uestigia non leuiter inpressa sed fixa per longum tempus mansura esse.

Nam non nostram solum praeceptorum gratam memoriam Tibi perpetuam conciliasti, cum et conlo-

quii Tui suauitate eruditionisque Tuae semper praesentis ubertate animos nostros aeque ad res scholasticas atque ad litteras excitares et conmodis nostris amice adsidueque prospiceres, sed etiam discipuli piam memoriam Tibi semper seruabunt, qui et praeceptor omni in genere discendi studia auxeris et rector disciplinae frena eximia cum arte ita tenueris, ut etiam qui inuiti coercerentur, patrio et beneuolo animo hoc fieri sentirent. Sed non minus quam homines ipsa instituta Tua operae Tuae memoriam propagabunt. in scholae enim nostrae ordine huius aetatis ingenio moribusque adconmodando et constituendo, quae antiquitate quasi sancta ipsa per se conmendarentur, tam religiose retinuisti, quae obsoleta parumque apta esse uiderentur, tam fortiter et constanter sustulisti aliaque tam prudenter et perite substituisti, ut Tuum nomen iuxta Fridericum Frankium, qui per uiginti et quinque annos ante Te de hac schola rector egregie meritus est, semper gratis animis prosecuturi simus, et non modo pietatis sed etiam prudentiae futurum sit haec fundamenta a Te et decessore Tuo firmiter iacta inconcussa retinere.

Ita uero Tibi contigit, ut exacto contentus tem-

pore de hoc colle Afrano in planitiem Dresdensem cedere possis, cum nos hoc saltem consoletur, quod non in tam longinquam regionem remoueris, ut dulcem consuetudinem, quae adhuc inter nos fuit, abrumpi necesse sit; liceat enim nobis a Te petere, ut etiam Dresdae Te his uinculis teneri patiaris neue omnino nostrum, qui hic relicti sumus, inmemor sis. A Deo autem Optumo Maxumo pientissumis uotis pro Tua Tuorumque salute susceptis hoc precamur, ut Tibi strenuam et indefessam industriam et alacritatem, qua nunc uteris, quam diutissume conseruet, Teque bonis auspiciis nouam scholam non solum condere et instituere sed etiam conditam quam plurimos per annos administrare et gubernare uelit. Vale.

Hermannus Peter. **Oscar Ackermann.**
Carolus Loth. **Guilelmus Milberg.**
Theodorus Flathe. **Oscar Busch.**
Aemilius Woerner. **Aemilius Hoehne.**
Theodorus Koehler. **Const. Angermann.**
Guilelmus Roscher.
Paulus Meutzner.
Curtius Fleischer.

DE

P. OVIDII NASONIS FASTORVM LOCIS QVIBVSDAM

EPISTVLA CRITICA

Quoniam hisce uotis, quibus Te abeuntem prosecuti sumus, quasi corollarium quoddam adiungere collegio nostro placuit, et ad me hoc munus mihi et honorificentissumum et iucundissumum delatum est, aliquot Ouidii fastorum locos, de quibus ad Te scriberem, elegi, ea adfinitate, quae inter Tua studia et haec mea Ouidiana intercedit, ad hunc poetam adductus. Tu enim iam Bonnae Friderici Ritschelii, conmunis nostri praeceptoris dilectissumi, consilium secutus totum Te Ennio dedisti et in annalium eius relliquiis conligendis ordinandis emendandis tanta cum sagacitate et prosperitate uersatus es, ut opera Tua tunc amplissumo philosophorum ordini summa laude et praemio digna esse uideretur, nec ab illo tempore et scriptis et oratione — bene enim memini, quanto cum animi ardore Sedini, cum ipse primae classi adscriptus ad pedes Tuos sederem, uatis illius egregia in litteras Romanas merita explicaueris — eius memoriam recolere et mendis temporum iniuria inlatis liberare desiisti. Ab Ennio autem Tuo in multis rebus pendet Ouidius. qui, cum ceteri illius aetatis poetae, quantum ipsi illius sollertiae et inuentioni deberent, parum recte cognoscerent atque iniquius de eo iudicarent, et haud raro eum imitatus multos flores Ennianos delibatos in carmina sua transtulit et ingenio eum maxumum grauissumumque atque Scipioni magno contiguum ponendum esse libere et ingenue profitetur. Vide d. h. r. Teuffelii histor. litt. Roman. p. 161. Zingerle, *Ovid u. seine Vorgänger* II, p. 1—11.

Itaque hanc ad Te scribendi opportunitatem nanctus quae horis subsiciuis eaque maximam partem Misniae Tuis auspiciis

de Ouidii fastis indagasse mihi uisus sum, nunc huius meae qualiscunque operae quasi rationem redditurus Tuo iudicio proponere statui, Tu uero hoc perexiguum munus aequi bonique, quaeso, consule.

P. Ouidius Naso ipse, cum Augusti ira ad Getas relegaretur, se in fastis conponendis uersatum, hoc autem opus sorte sua ruptum esse dicit. quam ob rem, cum hoc eius consilium fuisset, ut duodecim mensium res totidem libris persequeretur, intra eos sex libros, quos Romae perfecerat, substitit neque, ut erat eius animus exilio fractus, Tomis per longum annorum spatium a se inpetrare potuit, ut ceteros adderet. Tandem cum diu neglecti iacuissent, nuntio ad eum adlato Germanicum, uirum et clementiae et doctrinae laude insignem, a Tiberio ad orientis res ordinandas missum esse, noua salutis spes ei adfulsit, ut fastos, quippe qui cum Germanici studiis in Arati phaenomenis positis quodam modo cohaererent, denuo adgrederetur, sperans fore ut hoc carmine ad eum misso oculos eius in se conuerteret et illius beneficio sortis suae tristitiam depelleret. antea autem illos sub Augusti nomine scripturus fuerat multaque, quae ad tempus plus uiginti annis superius pertinerent, intexuerat. qua de causa facere non potuit, quin totum opus retractaret atque alia eiceret, alia ad Germanici Tiberiique laudem pertinentia substitueret, sed uix ad primi libri finem in retractando peruenerat, cum anno septimo decimo p. Chr. n. uel initio insequentis morte abreptus est. Tum autem quis fastos e poetae scriniis protractos publici iuris fecerit, ignoramus; illud constat, ad ceterorum librorum retractationem eum omnino non accessisse, et ne primum quidem librum ultimam limam expertum esse. neque enim aliter explicari potest, quod uersus quidam (I 223—226), quibus rei cuiusdam ipso anno septimo decimo Romae gestae mentio fit, in eo insunt, qui et cum eis uersibus, qui antecedunt, et cum quibusdam, qui secuntur, maxime discrepent (cf. edit. meae fast. part. II p. 3—6). Quae cum ita sint, quis facile fieri potuisse neget, ut post Ouidii mortem cum haec fragmenta uno corpore coniungerentur, quaedam aliter atque poeta

uoluerat ederentur? atque in plerisque quidem rebus iam Rud. Merkelii mentis aciei contigit, ut quae Romae ad Augustum, quae Tomis ad Germanicum scripta essent, perspiceret et discerneret, una autem res neque ea leuis momenti adhuc uirorum doctorum diligentiam fugit.

Alterius enim libri prologo Ouidius postquam primo disticho a mense Ianuario ad Februarium rem traduxit, priusquam quae uocis Februariae origo esset, pluribus exponeret (u. 19—54), uersibus 3—18, cum antea elegos faciles in amore ministros habuisset, 'nunc primum' eisdem elegis grauius argumentum se tractaturum esse profitetur petitque a Caesare i. e. ab Augusto, ut huic suo operi faueret. At quae causa esse potuit poetae, ut talia alterius libri initio explicaret? primo enim iam fastorum libro eodem metro in eisdem rebus usus erat. accedit etiam alia offensio. nam quod poeta u. 3 'nunc primum' elegos maioribus uelis ire dicit, quoniam antecedit hic uersus

alter ut hic mensis, sic liber alter eat,

quis erit, quin summae neglegentiae eum suo iure insimulet illud 'nunc primum' non ad alterum librum sed omnino ad fastos referri iubentem?

Iam uero hunc prologum cum eo conpara, quem initio primi libri ad Germanicum misit:

Lib. I.

Tempora cum causis Latium digesta per annum
lapsaque sub terras ortaque signa canam.
Excipe pacato, Caesar Germanice, uultu
hoc opus et timidae dirige nauis iter,
officioque, leuem non auersatus honorem,
huic tibi deuoto numine dexter ades.
Sacra recognosces annalibus eruta priscis,
et quo sit merito quaeque notata dies.
inuenies illic et festa domestica uobis:
saepe tibi pater est, saepe legendus auus.

quaeque ferunt illi pictos signantia fastos,
tu quoque cum Druso praemia fratre feres.
Caesaris arma canant alii, nos Caesaris aras,
et quoscumque sacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum,
deque meo pauidos excute corde metus.
da mihi te placidum, dederis in carmina uiris;
ingenium uultu statque caditque tuo.
pagina iudicium docti subitura mouetur
principis, ut Clario missa legenda deo.
quae sit enim culti facundia sensimus oris,
ciuica pro trepidis cum tulit arma reis.
scimus et, ad nostras cum te tulit impetus artes,
ingenii currant flumina quanta tui.
si licet et fas est, uates rege uatis habenas,
auspicio felix totus ut annus eat.

Lib. II.

Nunc primum uelis, elegi, maioribus itis:
exiguum, memini, nuper eratis opus.
ipse ego uos habui faciles in amore ministros,
cum lusit numeris prima iuuenta suis.
idem sacra cano signataque tempora fastis:
ecquis ad haec illinc crederet esse uiam?
haec mea militia est. ferimus quae possumus arma,
dextraque non omni munere nostra uacat.
si mihi non ualido torquentur pila lacerto,
nec bellatoris terga premuntur equi,
nec galea tegimur, nec acuto cingimur ense
(his habilis telis quilibet esse potest):
at tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
nomina, per titulos ingredimurque tuos.
ergo ades et placido paulum mea munera uultu
respice, pacando si quid ab hoste uacas.

inter quos prologos nonne miram et rerum et uerborum similitudinem intercedere uides? habes in utroque carmen conlatum cum naue: I 4 *timidae dirige nauis iter*, et II 3, *uelis, elegi, maioribus itis*, habes easdem dicendi formulas: I 1, *tempora canam*, II 7, *cano tempora*, I 3, *excipe pacato, Caesar Germanice, uultu hoc opus*, v. 17, *da mihi te placidum*, II 17, *placido paulum mea munera uultu respice*; I 5, *officio ades* II 17, *ergo ades*; I 15, *annue conanti per laudes ire tuorum*, II 16, *per titulos ingredimurque tuos.* Ne multa, ab Ouidio duobus libris continuis tales prologos praepositos esse uix credes. quare quoniam alter prologus initio alterius libri locum suum omnino non habet, neque dubium est, quin ex eodem Ouidii mens spirare uideatur, necessitate quadam eo adducimur, ut hunc alterum prologum Romae toti operi destinatum fuisse existumemus, tum post longum temporis spatium Tomis eundem retractatum et in hanc formam redactum, quam nunc initio primi libri scriptam uidemus; post Ouidii autem mortem eum, cui fastos editos debemus, in scidis relictis etiam illam priorem formam inuenisse et re non perspecta falso insequentis libri primordio inseruisse. in altero autem libro uersibus 3—18 sublatis omnino nihil desiderari, primo obtutu concedes; nam ita quem ad modum eorum qui secuntur librorum, sic etiam alterius hoc initium fit, ut, unde uox eius mensis, cuius res conplectitur, originem ducat, exponatur.

Ex his autem quae diximus, quam difficile sit artem criticam in fastis exercere, per se adparet neque est cur pluribus de hac re disputemus. uerum tamen Ouidius non solum primo relegatione dein morte inpeditus est, quominus ipse hos libros perficeret et extrema lima poliret, sed etiam idem Callimachi exemplo inductus parum feliciter elegos ad hanc tam grauem rem tractandam elegerat (cf. Dilthey, de Callimachi Cydippa, p. 1 sqq.). qui quidem quamuis apti ad amores cantandos sint, tamen a perpetua rerum narratione, qualis maximam fastorum partem conplet, prorsus abhorrent, ita ut non mirum sit, quod non sine multis salebris in fastis Ouidii narratio fluit neque metamorphoseon cursum aequat. at uero

cum alii Ouidii libri tum fasti tam male habiti ad nos peruenerunt et tot locis interpolatoris manum experti sunt, ut iniquum sit omnia, quae in narratione displiceant, Ouidii neglegentiae aut inscitiae tribuere. in quo corruptionis genere multa menda iam ab Heinsio Bentleio aliisque uiris doctis perspecta sunt, duo disticha nunc ipse addam, quae ab interpolatore, non ab Ouidio profecta esse mihi uideantur. prius est I 205 sq. ibi enim Ouidius Ianum antiquitatis simplicitatem et continentiam his uerbis laudantem facit:

Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
dum populus pauper, dum noua Roma fuit,
dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum,
et dabat exiguum fluminis ulua torum.
Iuppiter angusta uix totus stabat in aede,
inque Iouis dextra fictile fulmen erat.
frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis,
pascebatque suas ipse senator oues.
[nec pudor in stipula placidam cepisse quietem
et faenum capiti supposuisse fuit.]
iura dabat populis posito modo praetor aratro,
et leuis argenti lamina crimen erat.

in quibus uerbis, tenor orationis omnino illo quod diximus disticho turbatur, cum eo expulso optume poeta postquam u. 204 antiquitate senatorem ipsum suas oues pauisse dixit, praetorem ad iura danda ab aratro arcessitum esse adiungat, et idem sententiarum conexus euadat, quem in antiquitatis laudatione habes lib. III u. 779:

An quia, cum colerent prisci studiosius agros,
et faceret patrio rure senator opus,
et caperet fasces a curvo consul aratro et q. s.

deinde autem idem quod illis uersibus continetur, iam u. 200 poeta occupauit neque erat, cur tam paucis uersibus interiectis iteraret; tum cetera huius loci tempora omnia inperfecta sunt: *capiebat, dabat, stabat, erat, ornabat, pascebat, — dabat, erat,*

ut perfectum *fuit*[1]), praeterquam quod a voce *pudor* nimis remotum est, grauiter legentium animos offendat. denique, ut originem huius interpolationis aperiam, adpono hunc libri tertii uersum (185), quo de Romulo sermo est:

in stipula placidi carpebat munera somni,

quem uersum, cum primo tamquam similis ad libri primi u. 200 in margine adscriptus esset, inscito alicui homini ansam proprio disticho sui ingenii uires periclitandi et alieno loco inserendi praebuisse existimo.

Eiusdem autem interpolandi rationis cum multa uestigia ab aliis deprehensa sunt, tum nescio an nullum maius et planius exemplum sit quam libri sexti uersus 751 sq. ab Heinsio et Schradero eiecti. quo loco cum Ouidius Polyidi Glaucique fabulam significasset potius quam narrasset et doctus aliquis homo haec fere in margine adscripsisset, a Polyido augure, qui a Minoe patre cum Glauco filio mortuo in monumentum descendere coactus esset, Glaucum herbis de morte excitatum esse, eodem auxilio adhibito, quo ante anguem ab angue dato usum esse obseruasset, huius explicationis fragmenta quaedam in tale distichon conglutinata in Ouidii uerba inrepserunt:

Tunc cum obseruatas augur descendit in herbas,
usus et auxilio est anguis ab angue dato.

quae ineptiae uereor ut coniecturis sanari possint.

Sed alter locus, ubi disticho remoto genuinam Ouidii narrationem restituisse mihi uideor, est VI, 39 sqq.:

An facient mensem luces, Lucinaque ab illis
dicar, et a nullo nomina mense traham?
tum me paeniteat posuisse fideliter iras
in genus Electrae Dardaniamque domum.

---

[1]) *Fuit* in optumis libris scriptum est, *suo*, in quam scripturam Bentleius coniectura inciderat, in deteriorum codicum auctoritate nititur neque dubitationem nostram leuat.

[causa duplex irae. rapto Ganymede dolebam:
forma quoque Idaeo iudice uicta mea est.]
paeniteat, quod non foueo Carthaginis arces,
cum mea sint illo currus et arma loco.
paeniteat Sparten Argosque meàsque Mycenas
et ueterem Latio supposuisse Samon.

Vides cum uehementi ira Iunonem conqueri quod sint qui se Iunii mensis honore priuari uelint, sed admodum inscite et totum indignationis cursum interrumpi et primum 'paeniteat' ab altero dirimi facile senties disticho illo a me uncis incluso, quod item per se languidum et ab huius orationis colore alienum est. secundum quae exempla autem haec interpolata sint, etiam hic patet, fuerunt enim Vergilii hi Aeneidos uersus (I 26 sqq.):

Manet alta mente repostum
iudicium Paridis spretaeque iniuria formae
et genus inuisum et rapti Ganymedis honores,

tum Ouidii ipsius fast. lib. IV u. 121:

Caelestesque duas Troiano iudice uicit.

denique ne hoc quidem singulare est, quod in illo disticho Paris Idaeus iudex dicitur, nam Ouidius haud raro Troianos Idaeos adpellauit, ueluti Ganymeden Idaeum puerum fast. II 145, Paridem Idaeum hospitem epist. VIII 73, XV 301, Laomedontem Idaeum am. III 6, 54.

Ut autem hisce locis uerba Ouidiana alienis additamentis aucta sunt, ita aliis librariorum leuitate quaedam intercidisse uidentur, cuius corruptionis generis hoc exemplum esto (II 857 sqq.):

Iamque duae restant noctes de mense secundo,
Marsque citos iunctis curribus urget equos;
ex vero positum permansit Equirria nomen,
quae deus in campo prospicit ipse suo.
iure uenis, Gradiue. locum sua tempora poscunt,
signàtusque tuo nomine mensis adest.

quorum stichorum quae sint sententiae, facile intelleges, sed

quaero, quid poeta uoluerit, cum diceret: 'ex uero positum permansisse Equirria nomen.' neque enim antea exposuit, qua re factum esset, ut illud nomen omnino daretur. possis suspicari alterum distichon tollendum esse, quo sublato tertium optume cum primo conectitur. at quoniam III, 519 altera Equirria conmemorat, fieri non potest, ut priorum mentionem, quae in illo inest, deleamus, neque aliud remedium restat, quam ut ante u. 859 lacuna disticha quaedam, quibus illud expositum esset, hausta esse statuamus. De re cf. Paul. p. 81 Müll.: *Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur.* Preller mythol. Rom. p. 318 sq.

Sed non minorem librarii neglegentiam hoc loco (I 241—248) me inuenisse arbitror:

Ipse solum colui, cuius placidissima laeuum
radit harenosi Thybridis unda latus.
hic ubi nunc Roma est, incaedua silua uirebat,
tantaque res paucis pascua bubus erat.
arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro
nuncupat haec aetas, Ianiculumque uocat.
tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum
esset et humanis numina mixta locis.

uerba sunt Iani, qui primo disticho olim se dextram Tiberis ripam incoluisse dicit, altero tunc urbis Romae locum desertum et paucis bubus pascua fuisse, tertio suam arcem Ianiculum fuisse, quarto tunc se regnasse, cum terra deorum patiens esset, sic autem sanum orationis ordinem uix seruauit. nam cum u. 247 *tunc* ad ea uerba quae secuntur *patiens cum terra deorum esset* referendum sit, perpetuitate orationis interrupta hoc distichon cum eo quod autecedit non cohaeret, atque, cum tertium cum primo arte coniunctum esse debeat, parum apte altero interposito diuelluntur. at si alterum et tertium distichon loca sua inter se conmutare iusseris, has difficultates facile expedies, ut *tunc* et in uersu superiore quo pertineat habeat et ad eandem uocem adcuratius definiendam additis uerbis

patiens cum terra — mixta locis oratio ad antiquitatis simplicitatem, quae eis qui insecuntur uersibus explicatur, conmode transducatur.

Denique quartum emendationis genus uersari scis in singulis quibusdam litteris mutandis, cuius generis quinque Tibi exempla proponam.

Primum ex eodem conloquio Ovidii et Iani sumptum est, cuius modo partem quandam tractauimus (I 227 sq.):

Finierat monitus. Placidis ita rursus, ut ante,
clauigerum uerbis adloquor ipse deum.

at antea cum Ianus poetae oculis se offerret, ille obstipuisse se finxit sensisseque metu riguisse capillos et gelidum subito frigore pectus fuisse (u. 97 sq.), atque etiam postea, cum dei beneuolentia et fauore excitatus animum sumpsisset, humum spectantem se loqui (u. 147 sq.). nonne igitur mirum, quod hic placida sua uerba fuisse uolt? nam placida uerba sunt aut lenia uehementibusque opposita et hominum alienam uiolentiam placantium mulcentiumque (ueluti met. I 390. IIII 652) aut deorum hominibus fauentium (*gnädig*); cf. e. gr. I 17 *da mihi te placidum; dederis in carmina uiris*, ubi Germanicum, II 17, *placido mea munera uultu respice*, ubi Augustum tanquam deum adloquitur, IIII 161, *Semper ad Aeneadas placido, pulcherrima (Venus), respice*, V 23, *placido decens Reuerentia uultu.* quare lenissima mutatione scribe:

Pauidis — uerbis adloquor ipse deum,

conlatis praeter cetera his uerbis (I, 15):

Annue conanti per laudes ire tuorum
deque meo pauidos excute corde metus.
da mihi te placidum et q. s.

Lib. II u. 317 sqq. Omphale Herculem suo cultu instruit, ipsa autem illius armis telisque se onerat, qua in re Ouidius, quam non Omphalae uestimenta et ornamenta cum Herculis uastitate conuenerint, magna cum arte depingit, tum sic pergit (u. 325 sq.):

Ipsa capit clauamque grauem spoliumque leonis
conditaque in pharetra tela minora sua.

in quo disticho hoc offendit, quod, cum Herculis tela Omphalae maiora et grauiora dicenda sint, dicantur minora. quamquam Heinsius hanc codicum scripturam sic servari uoluit, ut sagittas ut tela minora clauae opposita esse censeret, sed nec haec interpretatio nec quod Vlitius excogitauit, *minore* quidquam iuuat. itaque ipse ut *tela minora* mutetur in *tela sonora*, suaserim, dupliciter tela ita dici posse ratus, nam et omnino sagittae auras percutientes sonant (cf. Verg. Aen. XI 863: *Teli stridorem aurasque sonantis audiit una Arruns*), ut, quem ad modum tempestates aut flumina (Verg. Aen. I 53. XII 326), ita etiam sagittae hoc epitheto ornari possint, et tum ipsum, cum Omphale pharetram sumpsit, in ea sagittae motae sonant, qua in re nescio an Ouidius imitatus sit Homerum Il. A 44: Βῆ — τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην, ἔκλαγξαν δ'ἄρ' ὀιστοὶ ἐπ' ὤμοιν χωομένοιο, αὐτοῦ κινηθέντος. cf. Ouid. rem. 705:

Phoebus adest: sonuere lyrae, sonuere pharetrae:
signa deum nosco per sua: Phoebus adest.

et Vergil. Aen. VIIII 660:

pharetramque fuga sensere sonantem.

Caristiis Ouidius apud Merkelium conuiuas lares geniumque Augusti his uerbis precari iubet (II 637 sq.):

Et 'Bene uos, bene te, patriae pater, optime Caesar!'
dicite suffuso ter bona uerba mero.

neque dubium est, quin ita poeta scribere potuerit, quaeritur, num ita scripsisse uideatur. nam deteriorum codicum scripturam amplexus Heinsius, cuius coniecturam Merkel recepit, pro u. *per*, quam hi exhibent, *ter* substituit. at uero proficiscendum est a codicum optumae notae auctoritate, Petauiani, Vrsiniani, Vossiani B, Treuerensis, in quibus *dicite suffuso in sacra uerba mero* scriptum exstat, quae uerba si legeris, ut uersus efficeretur, pro *in* praepositionem *per* positam esse facile

intelleges.[1]) atqui iam Burmannus pro *sacra* recte *sua* coniecit, sed cum ille praepositione *per* retenta (scribit enim *per sua uerba*) a uia deerrauerit, ego meliorum librorum manu scriptorum uestigia premens illud *in*, in quo corruptelam latere adparet, in *sub* muto pentametrumque sic constituo:

dicite suffuso sub sua uerba mero,

id est, ita illa uerba dicite, ut primum post uerba *'bene uos'*, dein post u. *'bene te, patriae pater, optime Caesar'* uinum libetis, ex consuetudine Romae usitata, qua post preces uinum libare solebant, cf. edit. meae fast. conment. a. h. l. et part. II p. 18. similis autem uocis *suus* in fastis haud rara exempla sunt, ex quibus haec elegisse satis erit:

adde preces positis et sua uerba focis (II 542)
adorato per sua uerba deo (III 660)
et Fornacali sunt sua sacra deae (VI 314).

Eadem autem ratione alio quodam loco a plerisque uiris doctis peccatum est. initio enim libri quinti Ouidius, ut, priusquam Maiestas dea nata esset, quantum in caelo deorum seniorum honos et dignitas esset neglecta et contempta, significaret, etiam hoc exemplum adtulit (u. 21 sq.):

Et latus Oceano quisquam deus aduena iunxit
Tethys extremo saepe recepta loco est.

ita enim hexameter ante Merkelium uolgabatur, qui cum *quisquam* post *et* retineri non posse intellexisset, apud Reimerum *et latus Oceano quiuis deus aduena iunxit*, apud Teubnerum cum Burmanno *et latus O. quamuis deus* et q. s. edidit. uerum tamen recte H. A. Koch in symbol. Ritschel. p. 355 a uia et ratione eos aberrare monuit, qui talia probarent. nam codices Petauianus, Mallersdorfiensis aliique, quorum coniuncta auctoritate ceteri longe superantur, omnino non exhibent *et latus O.*

[1]) Qui exarauit codicem Mallersdorfiensem aut eius archetypum, alia ratione huius uersus hiatum explere conatus est; scripsit enim *dicite suffuso, sint bona uerba, mero*, idemque etiam in aliis quibusdam codicibus inuenitur. codicis autem Mallersdorfiensis haud spernenda auctoritas est: ita ne optumi quidem libri interpolatione uacant.

quisquam sed *nec latus O. quisquam*, quae scriptura et grammaticae et artis criticae legibus ita commendatur, ut uir ille doctissumus iure suo se perspicere neget, cur ceteri in his uerbis tractandis a deterioribus exorsi sint. sed quod idem omnium codicum consensu, qui alteram uersus partem hanc habent *deus aduena iunxit*, spreto codicem Mazarinianum, in quo a prima manu haec exarata erant: *quando leue tegebat* amplexus hac coniectura ueram poetae manum reciperatam esse arbitratus est:

nec latus Oceano quisquam de plebe tegebat,

uereor, ne in eundem errorem incurrerit quem in aliis reprehenderat. codex enim Mazarinianus, ut Merkelii (in edit. Reimer. prolegg. p. CCLXXXI) uerbis utar, et uirtutibus et uitiis memorabilis est, ut ille nusquam, quod sciam, huius solius testimonio niti ausus sit, atque quoniam in uersu proxumo antecedit *de plebe*:

Saepe aliquis solio, quod tu, Saturne, tenebas,
ausus de media plebe sedere deus,

insequenti idem illud ab Ouidio non esse iteratum mihi quidem certum exploratumque est.[2]) quae res cum ita sit, ad ceteros codices redeo, quorum scriptura etiam hac de causa mihi adridet, quod Oceano, qui ab Homero θεῶν γένεσις dicitur (Il. XIIII 201. 246. 302), scite opponitur *deus aduena*, paucisque litteris mutatis pro *iunxit* propono *clausit* uel *texit:*

nec latus Oceano quisquam deus aduena clausit.

itaque eum honorem tum Oceano cano deo denegatum esse Ouidius dixisse uidetur, quem postea, quanta Romae quondam capitis cani reuerentia fuisset, describens in praecipuis honoribus, qui senibus habiti essent, posuit (u. 67):

Et medius iuuenum, non indignantibus ipsis,
ibat, et interior, si comes unus erat.

---

[2]) Heinsius, quod coniecit *nec latus Oceano, quamuis grandaeua, tegebat Tethys*, ita non codices secutus est, ut eius rationem habere superuacaneum esse duxerim.

fuisse enim tunc Romae constat hunc morem, ut, si terni in publico irent, ei, qui dignitate praestantissumus esset, medius locus daretur, si bini, is, qui ad domos esset, idque ea de causa, ut a pulsu ceterorum hominum in publico uersantium muniretur, quod cui fiebat, ei latus claudi uel tegi dicebant. cf. Horat. sat. II 5, 16: *ne tamen illi tu comes exterior, si postulet, ire recuses. 'utne tegam spurco Damae latus.'* Iuuen. 3, 131: *diuitis hic serui cludit latus ingenuorum filius.* Sueton. Claud. 24: *Aulo Plautio — eunti et inde rursus reuertenti latus texit.* Quod autem Ouidius hanc Romanorum consuetudinem ad superos traduxit, hoc nemo, opinor, mirabitur. talia enim sescenties apud eum inueniuntur.

Denique agmen claudat hoc libri sexti distichon (735 sq.):

Surgit humo iuuenis telis afflatus auitis
et gemino nexas porrigit angue manus.

sermo est de Ophiuchi uel Serpentarii ortu, quem Ouidius uolgatam opinionem secutus fuisse censet Aesculapium Apollinis filium, Iouis nepotem, quem, quod arte sua mortuos ad uitam reuocasset, a Ioue fulmine interfectum, tum uero patris precibus inter astra relatum esse fama ferebat. huic autem a ceteris scriptoribus unus tantum anguis tribuitur, quem utraque manu tenet, uelut ab Arato (86):

ἀτάρ οἱ Ὄφις γε δύο στρέφεται μετὰ χερσίν,

ad quem uersum scholiasta haec adscripsit (p. 60 Bk.): ὁ δὲ ὄφις ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ τοῦ Ὀφιούχου ἑλίσσεται, καὶ ἐν τῇ δεξιᾷ ὀλίγος ἐστὶν ὁ δράκων (βραχὺ γάρ ἐστιν ἐν τῇ δεξιᾷ τὸ περὶ τὴν οὐράν), ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ τὸ λοιπὸν σῶμά ἐστιν. Aratum autem latine sic imitatus est Germanicus (phaen. 79):

Lux tenuis manibus, per quas elabitur anguis
pressus utraque manu, medium cingens ophiuchum,

et Cicero (de nat. deor. II 42, 109):

Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
atque eius ipse manet religatus corpore torto.
namque uirum medium serpens sub pectora cingit.

idemque pedestri sermone exprimunt scholiasta Germanici (p. 62 Breys.) et Hyginus (poet. astron. II 14. III 13, uid. Ideler, *Sternnamen*, p. 97), ut, quae conmunis omnium de Serpentarii figura fuerit opinio, satis adpareat. Ouidium autem, quamuis, ut erat artis mathematicae expers, multos grauesque errores in siderum cursu definiendo conmisisset, tamen, quoniam tabula pictas figurarum caelestium formas exhibente eum usum esse constat, in rebus, quae sub oculos caderent, a ueritate aberrasse cum uix mihi persuadeam, atque Ouidius idem signum in metam. libro VIII (u. 182) sic significauerit:

Qui medius nixique genu est Anguemque tenentis,

leni mutatione — terminationes enim uocum uicinarum saepissume inter se confusae sunt — pentameter cum ceteris testimoniis conciliandus et sic constituendus esse mihi uidetur:

et geminas nexo porrigit angue manus.

Atque haec quidem de Ouidii fastis ad Te mittere uolui, quae spero fore, ut Tibi, uir humanissume, uoluntatem magis quam rem consideranti, et Te et conlegio nostro haud prorsus indigna esse uideantur. Vale.